

tione dicta sufficient, uberiolem & accuratiolem horum tractationem qui desiderat, adeat præter supra §. 9. citatos Autores *Gebrum Arabem. Lib. I. Chem. Part. III. c. 25. seqq. David van der Beecken / Experiment. & Med. circa Rerum Naturalium principia, Zwingeri Epistolam Principiorum Chemicorum Examini præfixam, Hartmannum in Disput. Hermetic. de Principiis Rerum Naturalium, Angelum Salam, & plures alios.*

CAPUT II.

Principiorum Chemicorum insufficientiam, si per ea sola res naturales explicare velimus, demonstrans.

§. I.

EXpositis breviter principiis Chemicis, nunc promissimemores, capite hoc demonstrare conabimur, principia hæc, si per ea sola explicare res physicas animus sit, nullatenus sufficere. Monemus autem statim sub voce principii nos intelligere principia mixtorum prima; quæ non indigent priore aliquo ad sui cognitionem, nec in alia specie diversa resolvi possunt, sed primæva sunt & simplicia corpora, ex quibus mixta componuntur, & in quæ ultimò resolvuntur.

§. 2. Hæc explicatione vocis principii præmissâ, non immeritò quæritur, an Principia Chémica nomen principiorum mereantur? &c. Si accuratè loqui velimus, vix ipsis hoc nomen attribui poterit, siquidem omnibus veræ Philosophiæ amatoribus, plerisque Chemicis etiam testibus, ipsa non solùm in alia & illis priora (de quâ re deinde uberius) reduci possunt, sed præterea omnibus etiam non insunt, nec ex omnibus, maximâ licèt adhibitâ Ignis torturâ, separari possunt: id quod unicus probabit Mercurius, siquidem teste *Helmontio*, illo per Ignem Philosopho, impos-